

nec ignorari turpe, sed negligi; omnes peccata dissimulant, et quamvis feliciter cesserint, fructu illorum utuntur, ipsa subducunt. At bona conscientia prodire vult, et conspici: ipsas nequitia tenebras timet. Eleganter itaque ab Epicuro dictum puto: Potest nocenti contingere ut lateat, latendi fides non potest. Aut si hoc modo melius hunc explicari posse judicas sensum: Ideo non prodest latere peccantibus, quia latendi etiam si felicitatem habent, fiduciam non habent. Ita est: tuta scelera esse possunt; secreta non possunt. Hoc ego repugnare sectae nostrae, si sic expediatur, non judico: quare? quia prima et maxima peccantium est poena, peccasse: nec ullum scelus, licet illud fortuna exornet muneribus suis, licet tueatur ac vindicet, impunitum est; quoniam sceleris, in scelere supplicium est. Sed nihilominus et haec, et illa, secundae poenae premunt ac sequuntur: timere semper et expavescere, et securitati diffidere. Quare ego hoc supplicio nequitiam liberem? quare non semper illam in suspenso relinquam? Illic dissentiamus cum Epicuro, ubi dicit, nihil justum esse natura, et crimina vitanda esse, quia vitari metus non possit. Hic consentiamus, mala facinora conscientia flagellari, et plurima illi tormentorum esse, eo quod perpetua illam sollicitudo urget ac verberat, quod sponsoribus securitatis suae non potest credere. Hoc enim ipsum argumentum Epicuri est, natura nos a scelere abhorrere, quod nulli non etiam inter tuta timor est. Multos fortuna liberat poena, metu neminem: quare? quia infixi nobis ejus rei aversatio est, quam natura damnavit. Ideo numquam fides latendi fit etiam latentibus: quia coarguit illos conscientia, et ipsos sibi ostendit. Proprium autem est nocentium, trepidare. Male de nobis actum erat, quod multa scelera legem et judicem effugiunt, et scripta supplicia: nisi illa naturalia et gravia de praesentibus solverent, et in locum patientiae timor cederet.

Attic. XIII. 20. In omni vita sua quemque a recta conscientia transversum unguem non oportet discedere.